

V K
2850



27.
H. 116, 1.



27.
H. 116/1.

Vk
2850

I A C T V R A
Quâ Regi quâ gregi inæsti-
mabilis

F A C T A
vingesimo die 20. April. *in* Anno *mille simi, sexcentesimo, octavo.* M D C I I X.

EX LV CT V O S I S S I M O D E-
cessu Generosæ & inclutæ, inq; huius or-
numero dinis Principis foeminæ,

CATHARINÆ AGATHÆ:
Ex avitâ Butbussiorum illustri familia: Gene-
rosi GEORGII lib-Bar. Schönburgici (Γ' εν ἀγίας)
relictæ viduæ augustæ AVGVSTI FILII
& subditorum pientissimæ
MATRIS

*Threnodijs oculis & animis legentium
obiecta.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



BIBLIOTHECA
TONIC

ALTENBURGI, ANNO M. DC. IIX.



INSTITUTIONAL

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Vertical text on the right edge of the page, possibly from an adjacent page or a margin.





EPIGRAMMA.



Vltatibi ad tumulum, Comitissa, dare im-
 pedit ingens (ma dabo.
 Et dolor & studium. Hoc ergo Epigram-
 TE CATHARINAM AGATHAM, Baptisma salutifer humor
 Dixit; Et ex asse hoc Nomen & omen habes.
 Nam CATHARINA sonat PURAM, ex idiomate græco:
 Sic AGATHA, ex illo fonte, sonatq; BONAM.
 Res ipsa in verbis. Nam quis non novit ad unguem
 Te PVRE integram moribus atq; fide?
 Quin simul implesti alterius quoq; Nominis Omen
 Facto, quò Græcis diceris esse BONA.
 Quid Græcis? Nobis BONA & utilis usq; fuisti
 Quod testis puer est cum pueroq; senex:
 Immo DEVS testis subscriptorq;. Ergo quid obstat,
 Cum PVRYM atq; BONVM diligit ipse DEVS;
 Cur TE jam PVRAM precioso sanguine CHRISTI
 Aternâ in cælis non BONITATE beet?

M. Martinus Hammer P. & S. Glau-
 chaviensis, desiderio & mœrore plenus,
 ob DOMINAM Beneficam intempestivè
 amissam.

S Cilicet antiqui lex hæc est fœderis, atrox
 Mors instat fragili semine cuiq; lato;
 Vita inimica homini ceu prœnsis avolat alis,
 Et subitâ semper mobilitate fugit.

A B

Ob-

Obiectosq; sibi nullo discrimine Fatum
 Tollit, & horrendo protinus ense necat.
 HOC non religio, non HOC pietasq; fidesq;
 HOC movet ingenuæ non probitatis amor;
 Non genus, antiquos non respicit vllius ortus,
 Non curat nitidas, quas amat Orbis, opes:
 Hinc facundus ait Cicero; Mortalibus, omni
 Tempore, morte nihil certius esse solet;
 Sed nihil est Mortis venturæ incertius horâ,
 Hæc quia quando venit, præcipitata venit.
 Heu quot nunc ANIMAS deflemus morte necatas
 Quivisset fruier patria nostra quibus?
 Quas superesse diu quis non ardentibus optet
 Votis? si votis dent pia Fata locum.
 „ Optima quæq; prius pereunt, si præpete dextrâ.
 „ Ingruit in pœnas vindicis ira DEI.
 Sic BVTBVSSIACÆ laus longè amplissima Gentis
 Rapta μόρω præter spem KATHARINA cadit.
 Cui non Maiorum series longissima vitam,
 Nec genus eximiâ nobilitate tegit.
 Nobilis HÆC dici voluit non stemmate tantum,
 Verum animo & verâ religione DEI.
 Nil habuit potius venerando Numine CHRISTI
 Nam CHRISTO potius novit ea esse nihil.
 Scivit honestati SENATAM, Candida, Verax,
 Et pia, servitio tota dicata DEI;
 Ingenio mores æquavit, & omnia cautè,
 Omnia prudenter gessit, id acta probant;
 Consilio præstans, facunda, & provida rerum,
 Mente humilis, simplex veste decente statum;
 Pauperibus facilem SE tempore præbuit omni;
 Haud vnquam est inopi janua clausa BONO.

Profuit

„ Profuit H v î c verò Pietas, Prudentia, Virtus
„ Nil contra sævæ spicula dura necis;
Sed varijs fractam morbis, gravibusq; periclis,
Sub leges rapuit Mors inopina suas.
Gramina adusta velut glacialis tempore Brumæ
Flaccescunt, penitus non tamen intereunt,
Sed, quando tepidi redeunt lætissima Veris
Tempora, cum succo vita redire solet;
Sic homines, actis tandem juvenilibus annis,
Quando premit canum pigra senectæ caput,
Defuncti vitâ, celeres rapiuntur in auras;
Heu nihil â Lachesis conditione vacat?
Dum tamen æthereo corpus requiescit in agro
Inter Coelicolas Spiritus Astra colit,
Iustitiæ donec Sol CHRISTVS venerit, atq;
Duxerit ad celsi lucida tecta Poli.
Interea in terris perdurat fama perennis
Quorum ducta carens crimine vita fuit.
Haud aliter KATHARINA AGATHA, acto tempore Vitæ,
Quod dedit æterni provida cura DEI,
Erepta est Fatis BVTBVSSIA, stirpe vetusta
Nobilis, at mentis nobilitate prior;
Iamq; dedit Terræ conflatum pulvere corpus;
Ast animam liquit MAXIME CHRISTE TIBI,
Quæ, cûi fidebat, placidè requiescit in ipso,
Expectans vitam spe meliore novam.
„ Haud amissa, sed est tantum præmissa, PEREMTA,
„ Omnes hanc tandem cogimur ire viam.
„ At Tv, cûi resident sano sub pectore vireis,
„ Lumina quem Solis Fata videre sinunt;
„ Esto memor Sortis, casûs cognosce frequentis,
„ Quotve ferat dubias qualibet hora viceis;

,, Vive velut vitam multos victurus in annos ;
 ,, Vive velut quovis tempore busta peras.
 ,, Officium, Pietas, Virtus, Mens conscia Recti,
 ,, In primis cultus sint tua cura DEI ;
 ,, In vita felix, sanctus post Fata manebis ;
 ,, Mors tua somnus erit pax & amica quies.
 Quod superest dilecta nimis COMITISSA Tonanti
 Aeternum salve, perpetuumq; vale.
 TVQVE AVGVSTE piæ MATRIS qui funera luges,
 Rem NATO dignam (pòl mihi crede) facis ;
 Supprime sed lachrymas, ne flens videre BEATAM
 De MATRIS querier prosperiore statu ;
 Est exempta malis, Cœliq; in sede locata,
 Quà fruitur vultu colloquioq; DEI.
 Non HVÎC mors finis vitæ, sed dulce salutis
 Principium, & Cœli janua certa subest.

*M. Matthæus Meilandus Chems-
 nicensis, Ecclesie Filij Dei VValden-
 burgensis veterioris pro temp. Pastor.*

Quamvis hâc vitâ, dum spiritus hos regit artus,
 Nulla pijs desint aspera Christicolis.
 Quamvis umbrosâ hâc adversa sorte vagemur
 Valle, & solliciti sint loca plena metus.
 Bella licet Satanas vario det turbine multa,
 Immundus mundus quodq; minetur agat.
 Sitq; brevis vita hac multorum plena dolorum,
 Nec sine qua lacrimis, vlla dies abeat.
 Vivamus queruli, vicina sit horula mortis,
 Corpore ut afflicto prævia signa vides.
 Deficiant vires, fiat vox fessa loquendo.
 Approperet tristis funeris hora modò.

NOS

NOS tamen HOC miserâ solatur conditione
Cum IOBO, ut nobis pagina sacra refert,
Quod VIVAT CHRISTVS Salvator noster IESVS
Crimina qui proprio nostra cruore tulit.
VITA est: ut vivit, sic nos, quos fecit amicos,
Heredes regni constituitq; sui,
Vivemus pariter, qui jam properamus ad unam,
A CHRISTO partam speq; fideq; domum.
Et licet exposita hęc multis sit vita periculis
Qua facilè nullus dinumerare potest:
At tamen IS presens, promittens, omnia cernens,
Suscipiens nostras aure patente preces.
Quando salutiferam dextram porrexerit alto,
Eripiet cunętis pro bonitate malis.
Hęc anima hoc fragili (quando est tua sancta voluntas)
Corpore solvatur, quam mihi, CHRISTE, dabis,
Hoc scio, quod sedem sit conscensura beatam,
Angelicis semper perfruitura bonis.
Funus agam sed fœnus erit, speq; damna levabo,
Hęc posita, nemo, qui pudefiet, erit.
Corpus putrescat, quid tum? tu CHRISTE Redemptor,
Somno, qui VITA es, frigida membra dabis.
Omnia membra mihi te CHRISTE, iubente resurgent,
Dum dabit insuetum buccina clara sonum.
Pelle meâ, ceu veste novâ circumdabor ipsa,
Qua jam multiplici tubere plena scatet.
Pace tuâ vivam, mea sors, mea portio dextra,
Ad quam me sistes, CHRISTE benigne, tua est
Teq; videbo MEVM, ceu fidus amicus AMICVM
Audiet hac suaves auris aperta sonos:
Tu, Benedicta, veni nostri pars altera cordis,
Ad patrię æternę gaudia viva veni.

Hęc

NOS



H A E C erit illa dies, mea quâ lugubria ponam,
In *CHRISTO* exultans, hæc erit illa dies.
Hæc erit illa dies, *CHRISTO* dictante Magistro,
Quâ bibula aure bibam *Mystica sacra DEI*.
Hæc erit illa dies, quâ sanctis associabor,
Hostes confundens hæc erit illa dies.
Hæc erit illa dies, requies optata laborum,
Aeternæ vitæ quâ diadema geram.
SED quid ego multis? Ita spe sua damna levabat
In *VIVO* vivens *HAEC COMITISSA DEO*.
Abquoties trepidâ repetivit voce querelam.
Finem fac vitæ, *CHRISTE* benigne, mea.
Aspice me miseram, libera hâc me mole gravatam,
Da tecum vivam, *CHRISTE*, soluta brevi.
CHRISTE, tibi vivo, morior tibi, *CHRISTE* Redemptor,
Vivam, seu moriar, sum tua, *CHRISTE*, scio-
Contigit hoc tandem totâ quod mente petivit
In *CHRISTO* moriens *HAEC COMITISSA* suo.
Absolvens cursum verâ pietate fideq̃,
Nunc securâ mali sede recepta *DEI* est.
At *GENEROSE*, tuam *MATREM* qui cernis ademptam,
AVGVST E, & luges, funera mæsta tibi.
Ne tua præ nimio succumbant pectora luctu,
Sed superet luctum vis animosa tuum.
H A E C non amissa saltem præmissa putctur,
Iussa est cælestis sacra subire domus.
Iamq̃ expectat ovans *T E* tandem morte sequentem,
Et gestit vultus læta videre tuos.

M. Leonhardus Schneier Hilper-
husanus Fr. verbi divini apud
Glauchenses Minister.

Heu

Heu date Muldiades non ficti signa doloris
Et iustis lachrymis quæso rigate genas.
Occidit illustri non tantum stemmate nata:
Occidit & nostri Mater amanda soli.
Prædita præ cunctis veræ pietatis amore
In solum **CHRISTVM** spemq; fidemq; locans.
Largæ manu, sermone grauis, non pectore duro
Semper subiectis matris & instar erat,
Quos quia materno complectebatur amore
Omni quia poterat, spontè levabat ope.
Quid multis? propter dotes feliciter annos
Mathusala multos vivere digna fuit.
Dignior at cælo, vitæ cælestis & usu
Quo mens æternæ gaudia lucis agit:
Gaudia quæ nunquam pereunt nec vidit ocellus
Nullus nec luctus, quæ violare potest.
Corpus at exiguis terræ mandatur arenis,
Cui nec vis Turcæ, nec fera saga nocet.
Exculto in tumulto leuiter sed membra quiescunt,
E cælo donec buccina rauca sonat.
Tunc jungetur quisq; suis, dabit obuius oscula,
Tellurem quos nunc deseruisse dolet.
Ver tunc æternum sine turbine, tormine, Turcæ,
Absq; malis, morbis, labeque semper erit.
Hoc nobis tempus concedas, **CHRISTE** Redemptor,
Nos tandem cunctis eripiasq; malis.
Interea verò me protege tempore tristi.
AVGVSTVM & nostrum fac superesse diu.

B

Præsta

lilper-
ud.

Heu



*Præsta tibi sacra solamina Flaminis alma,
Triste malum eventus, corrige, CHRISTE bono.*

Wolfgangus Scheibius Ecclesiæ
Glauchensis Diaconus.

Fortè Scholæ curis fractus, fessusq; labore
Difficili Muldæ flumina curva peto.
Hic ægras animi vires viridaria amœna
Debuerant aliquâ parte levare mei:
Hic nemus Heliadum, quo ripæ umbratur opacæ,
Curarum nubem pellere mente nigram:
Dulcisoni volucrum cantus, quæ arva replentur,
Debuerant peccius latificare meum:
Sed magis atq; magis rodebat pectora mœror:
Tristius hinc omen censeo inesse rei.
Multa movens animo pergo succedere ripæ,
Vestitæ circum floribus innumeris:
Ecce meis oculis sese Patæus Apollo
Obviat, Aonidum duxq; paterq; chori.
Constitit & dixit: Mens quæ prælagiat ægra
Iam tibi, jam paucis tristis alumne, cape:
Plangite Muldiades, inquit, jam plangite cives:
In lacrimas tristes solve elegia comas:
Nam CATHARINAM AGATHEN illustri stemmate
natam.
Abstulit (heu miserum) funeris atra dies.

Ille genus ducens è sanguine Butbussiano
Clara fuit pulcræ gemma decusq; domus.
Emicuit pietas ex hac : quæq; impia fugit
Pectore Sidonia candidiore nive. *th*
Non ignara mali novit succurrere egenis :
Pupillusq; quærens maxima cura fuit.
Hac vivente animus viduarum gaudia cepit :
Lumen erat cæco, pes fuit & mutilo.
Omnes hanc cassam vituli lumine lugent :
Dant luctus Musæ tristia signa sui,
Sic fatus : subito se Divus condidit : inde
Obruor ærumnis (heu miser) & lacrimis.
Cura nec impertit requiem spaciumq; dolori,
Oraq; jam buxo pallidiora gero.
Iusta queror Dominae generosæ funera plangens :
Iusta ferens Dominae debita iusta queror.
Sic MATREM AVGVSTI generosi dira Baronis,
Sic patriæ MATREM Paica cruenta rapis ?
Heu nimium teretem iussisti currere fusum
Clotho, quæ vitæ fila severa trahis.
Inclutus hinc luget sine fine AVGVSTVS, & ipse
Tristis singultu concuciente sonat.
Illius mœror concerpit viscera morfu,
Seu nox, seu rutilo labitur axe dies.
Quos gemitus edent, & quæ lamenta propinqui,
Funera quando AGATHÆ nuncia fama feret.
Hinc caput & vultum lugubri veste recingit
Myfles, prudentum totus & ordo patrum.

B 2

Nym-

Nympharumq; chorus niveo velamine tectus
Luget, & alsiduis fletibus ora rigat.
Ite ite in tristes lacrimas, pia pectora, matres :
Ite, jacet vestris lapla corona comis.
Flebilis indignos Ecclesia solve capillos
Nam tibi non vani causa doloris adest.

Ast quid difficiles jam profunt quæso querelæ,
Immodicus quorum debilitansve dolor?
Iam cessent fletus, jam mœsta querela quiescat :
Iam gemitus cessent, hinc eat atq; dolor.
Nam Generosa suæ carnis compage soluta
Pascitur aspectu colloquioq; DEI.
Sub pedibusq; videns radiantia lumina Cœli,
Incluta perpetuæ gaudia pacis habet.
Salve sancte cinis, ter salve, salve iterumq; :
Flebile funus agens nobile fœnus habes.
Coccineo Christi CATHARINA abluta liquore
PVRA es, PVRA tenes PVRIOR alta Poli.
PVRA Deum nosti, dignis BONA laudibus, effers :
Sic CATHARINA pia es, sic AGATHEq; bona es.

*Grati animi debitaq; subie-
ctionis ergò F.*

Wolfgangus Sparschugius
Ludi literarij Glauchens
Collega prim.

QVF

QVERELA ET PROSOP OPEIA

defunctæ Comitissæ,

GENEROSVS FILIVS

Generosæ.

D Elicium vite, mea Lux, mea sola voluptas,
Unica spes, et honos, Cordis et altus amor!
TE MATREM dico, ò MATER dulcissima Mater,

(Hoc Nomen Pietas nam ter inesse iubet)

CUR ME CUR GNATUM terris iam deseris? et Te

Subtrahis affectum et subtrahis alloquio?

Non nosti, quòd sis Tibi proles unica? Num iam,

Quem Natura dedit mutuus Ardor abest?

FILIUS et MATER. Til enimne solubile vinculum?

O vinculum vinculum solveris ante diem!

Solveris ante diem, cum iam vel prima mearum

Rerum esse heic poteras Cura, Columna, Caput.

Ah quoties dubis Monitrix mihi fida fuisti

Rebus, et hæc à Te dextera sensit opem.

Ah me suspensum quoties tua Cautio fovit

Quantà HANC curasti sedulitate DOMVM?

Cur etiam linguæ BVTBVSI A pectora, et inde

Sanguinis ingenti proximitate satos?

Ecce Gynæceum ut Te iam clamore sequatur,

Ingeminans mæstis talia verba modis:

Quò ruis ò M A T E R? Quò Te tua lumina ducunt?

Lumina que solitum præter operta manent.

B 3 Cur

Curnos destituis miseris? Dispergimur inde hinc,
Vt Tenos, agnus vix ita querit ovem.
Dicite Pierides, **MATER** cur mortua? mortem
Aut quid causatum? Dicite Pierides.
Nempè latent multa heïc. Sed enim obstant crimina no-
Vel primùm, nobis quæ mala tanta ferunt. (stra
FILIUS AUGUSTUS sic hæctenus inclutus Heros:
Hunc sequitur tali subdita Turba sonò.

S V B D I T I.

O **MATER** Generosa (ignosce Auguste, vocabulo
Vsuræq; huius Nominis & Tituli.)
Tu **MATER** M luges? & nos lugemus eandem:
Sanguinis ergò Tua; at Nostra fuit meritis.
O **MATER**, nostram quàm turbas funere **GLAUCHAM**
Hocce tuo, & nobis nil nisi triste mo-ves!
Ecce quot in partem luctus juvenesq; senesq;
Iam veniant, lacrimas devoluantq; gra-veis!
Omnes atrati incédant lamentaq; produnt
Albis fœmelle sindonis exu-viis.
Et meritò. Nam siccoculus, crudelis & excors
Quis nostrùm, ut nolit solvere lacrimulam?
Præsertim secum si pensicula verit, ecquæ
Pallida mors **MATRIS** commoda perdidit.
O vos pupilli feraleis ducite lesbûs!
Nam **MATER** létò vestra peremta jacet.
O vidue! & Tu qui cause solamen habebas
In **MATRE HAC**, age dic, quid tibi mentis inest?

O vos

O vos agroti! quis morbis amplius addet.
Vim medicam, medicas porriget atq; manûs?
Quis vobis deinceps medicinam absq; aere parabit?
Si forsân vester sacculus aere caret.
O, Ire, esuriem quî sistes? quisve levabit
Nudum adjecticiô palliolô & tunicâ.
Ite boni pueri, teneræ simul ite Puella,
Dicite: Nunc **MATER** mortua nostra etiam est.
Quis pyra, poma, nuces mellitaq; liba quis aurum
Argentumq; tibi, pusio parve, dabit?
Flete gravem casum: nihil heic nisi tristia desunt,
Pregnantem causam quisq; doloris habet.
Nam velut ad fontem sine quilibet ordine currit,
Munere laudatus qui salientis aqua:
Sic quoq; munificum **MATRIS** fontem omnis adibat
Exhilarans variis seq; suosq; modis.
Eheu nos miseros ut iam **Fortuna** fatigat,
Nec, quas ostendit, fida ministrat opes!
Cur nos cur **Libitina** ferox à **MATRE** revellis?
Vel **MATREM** à nobis mors truculenta rapis!
Quot pestes hominum totô nunc orbe supersunt,
Quâs meliùs terris abripuisse fuit?
Tollere nostram, inopum quàm natam in munera,
MATREM,
Vivere quæ cervi tempora digna fuit.
Paupera fundebat dum ruris & urbis egestas
Hos elegos, tandem mortua **MATER** ait:

PROSO.

PROSOPOPEIA COMITISSAE

DEFUNCTAE.

AVGVSTE, ò Fili, quid fles, indigna quiritans?
 Cur lugēs MATREM? triste quid indè gemis?
 Non fas secreti Decreta latentia Fati
 Incusare, DEI & vellere consilium.
 Quid fui in his terris? mera bulla, fugacior aurā
 Quāvis, vel quicquid de leuiore nota est.
 Respice quān misero traduxi stamine vitam,
 Dum poterat pes non fungier officiō
 Illic hærebam, quoquò me sella Vehabat:
 Gaude igitur, quod iam meta reperta mali est.
 Quid dicam, quān nunc sint omnia fæta periclis,
 Seu lustres terram lumine, sive polum?
 Bella, fames, pestes, incendia, prælia, morbi
 Ex pacto sedes hæc posuere suas.
 Aspice ut agrorum confinia milite certent,
 Augebit numerū fors quoq; GLAVCHA virūm.
 Ergo Munde, vale: Tua nil commercia curo:
 Terra vale; rixæ prodiga Terra, vale.
 Tu contrā mihi salve arx ò letissima cæli,
 Ut Te iam teneo possideoq; lubens!
 Vobis antè quidem à SCHÖNBURG Comitissa vocabar,
 Rectiūs at sic iam morte soluta vocor.
 Arx ME namq; capit rutili PULCERRIMA cæli,
 Quā noua cum CHRISTO gaudia participo.

Flere

Flere igitur cessa, finemq; impone dolori

O Fili, discens tristia tanta pati.

Fulgeat adversis tua iam Constantia rebus,

Et sequere hanc, monstrant quam Tibi Fata, viam.

Tuq; meo GNATO officio plebs dedita, luctu.

Neme urgete gravi, cum mihi parta QUIES?

si Quin^{et} Cura tui DOMINI tetangit ^{et} angit,

Sedula pro DOMINO vota fer, atq; preces.

Annuit his iussis subiecta Cateva, relinquit

Hecce sua ^{et} primum symbola tristitiae:

Incluta salve, inquit, MATER, vale incluta, MATER,

Corporis exuvius sit levis umbra tuis,

Mox his pro DOMINO subnectit talia: VIVE

Heros Tu nobis inclute, VIVE DIU.

VIVE DIU Nobis, AUGUSTE, in commoda mille,

VIVE diu, ^{et} curis pro Grege VIVETUIS.

Augusto tua decurrant incepta favore

Et SCHÖNBURGIACAE stet decus omne DOMUS:

Hanc oculò nunquam sors spectet torva sinistro,

Sed vehat immensum: clara sub astra caput.

Hoc, AUGUSTE, Ego Te votivò carminem acta,

Quod faciat DEITAS Trina ter-alma ratum.

Devotæ ^{et} subiectionis ergo f.

Johan: Sartorius Bitterfeld. Scholæ

Glauch: Coll: secundus.

C

Quid.

Vid querar! aut quid agam! video prius
omne creatum

Sortis agi vicibus, postmodò morte rapi.
Ut cita fertur avis per inane velocibus alis:

Sic fugit ex oculis, qui modò vixit, homo.
Vile tabernaculum luteo de pulvere cretum

Est homo, cœlesti, nî foveatur ope.
Est tellus eadem nobis commune sepulchrum,
Sole sub hoc vno quique jacemus humi.

Vita, labor, dolor, anxietas, sonus actus in auras,
Somnus, imago, vitrum, flos, aqua, bulla, nihil.

En modò propositæ vivum paradigma querelæ,
Dum *Comitissa* AGATHA hinc tollitur ante diem.

Vnde dolent proceres, Ecclesia plangit, & omnes
Læsum, sinceræ religionis, agunt,

GLAUCHA flet, & reliqui pagi, gemit ipse Dynasta,
Inclutus, ex cuius traxit hic urbe genus,

Flet quoq; singultim Pimplæi fontis, Apollo,
Præses & auratam vult tacuisse chelyn.

Et merito deflent Talem, pia pectora Matrem,
Qualem vix posthac sæcula fortè ferent,

Manfueta ILLA fuit facili gravitate severa,
Ingenii placidi, iudiciiq; probi.

Si dicam plura, haud quaquam dicam omnia:
tu dic:

HE ÎC SITUS EST RARAE NOBILITATIS HONOS.
Cesso queri: cum vita perit tunc summa bonorū
Nascitur, & funus nil nisi fœnus erit.

Ergò

Ergò vale, CATHARINA, vale, quam vita perægram
Hæc invita minùs visa tulisse fuit.
Nulla tibi porrò metuenda incendia restant;
Quam colis, attingi nescit ab igne domus.
Inter & Angelicas acies, & martyras inter
Æternum lætò concinis ore melos.
Immò vides alios, & Tute videberis illis:
Ipsa vides Triadem, TE TRIAS ipsa videt.

*Michael Kirstenius, scholæ patriæ
σύνεργος & deproperabat.*




Handwritten blue ink markings, possibly a signature or initials, located at the top of the page.

Faint, illegible text or markings in the center of the page.



ULB Halle
004 954 114

3



f

1077





Obiectos
 Tollit
 HOC no
 HOC
 Non gen
 Non c
 Hinc fact
 Temp
 Sed nihil
 Hæc q
 Heu quor
 Quivi
 Quas sup
 Votis
 „ Optim
 „ Ing
 Sic B v r
 Rapta
 Cui non
 Nec g
 Nobilis
 Veru
 Nil habu
 Nam
 Scivit h
 Et pia
 Ingenio
 Omni
 Consilio
 Mente
 Pauperi
 Haud



s q;
 nor;
 tûs,
 es:
 nni
 it.
 atas
 tet
 dextrâ
 Gentis
 cadit.
 um,
 RISTL
 ihil.
 rax,
 ;
 im,
 um;
 mni;
 NO.
 Profuit

